QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo secundo Februarii 1714.

M. LUDOVICO POIRIER, Doctore Medico, Serenissimi Delphini Medico Primario, Præside.

An ad tuendam senum, quàm juvenum sanitatem potiores Venæ sectio atque Purgatio?

I.

ARTEM medendi nobilissimam, qui naviter excolere cupit, præsenti servandæ hominum sanitati non minùs invigilet, quàm morbos illorum vitæ periculosiùs insidiantes aptè curare suscipiat. Hæc, quam nostratum aliquot ad centum & ultrà pervenire non rarò refertur annorum numerum, variis quoque distingui solet ætatum nominibus ac intervallis. Nunquam diutiùs salubriúsve sustinetur, quàm libero facilique sanguinis circuitu. Ad tam mirandum indesinentemque (dum stat homo, attendendo motum) ni stupeas omninò; saltem scrutare sedulò, per quos agitur, innumeros ferè vasorum, glandularúm-ve, corporis humani fabricationem ubique contexentium, gyros & anfractus. Penitiùs adhuc, si rei notitiam prosequare, vix credes, qualis & quanta sit harum vel exilissimarum naturæ machinularum vis elastica. Neque tamen propterea longè potentiorem cordis minutiùs aut scrupulosiùs velis examinare. Sed, heu! quæ maximè vigent in juvenibus, nervorum, membranarum, musculorum, arteriarum, venarum firmitas & robur fibrillarum, ex qui-

bus cæterarum partium compages exurgit organica, dum tacito temporum lapsu senescimus, ipsæ laxiores ac debiliores evadunt.

II.

TAMDIU sani vivimus, quamdiù recta succedit nutritio. Quocumque paratos modo solidos mensæ jubeas apponi cibos, in ore sufficienter mandi necessum. Sic multâ diluti salivâ, quæ promptiorem horum promovet dissolutionem, tùm linguæ, tùm circumpositorum musculorum, nec non œsophagi motu, ventriculi fundum petunt. Hoc uno, molæ vim, quâ triticum conteritur, æmulante, qui dixerit alimenta in chylum converti; causam quidem efficacissimam: sed alias non parùm valentes prætermittens, attulerit. Liquor ille dulcis & albus, hordei cremori non absimilis, ab intestinis per tubulos sibi destinatos, ad cor usque conscendit. Sanguini commixtus variis itibus reditibusque per arterias & venas, illius tandem naturam induit, aptissimus alendo; modò tamen ubique suis relliquiis inutilibus atque superfluis benè repurgetur, foràs ejiciendis: non aliter enim sanitatis & vitæ longinquitas sperari poterit aut expectari; quin viscera niteant nec ullibi in horum recessibus, vasisque circumjacentibus & aliis majoribus restagnet sanguis; neque, quod pejus est, acescentes torpescant humores atque nidulentur.

III.

ÆTATE juvenili, quæ tantoperè deberet ab omnibus æstimari, nemo ferè non abutitur, quibus pollet, viribus nimiùm confisus. In utroque sexu fervidior atque spiritibus turgens sanguis nullum non movet cordis affectum, pietatis sensu vel voluntatis arbitrio difficillimè componendum. Tunc etiam, quotquot sunt corporis universi functiones perficiuntur alacriùs; alimentorum coctio; chyli defœcatio; variorum, quibus primùm inquinatur sanguis, excrementorum, bilis in hepate, serosi humoris in renibus; ejusdem pluribus intùs in glandulis, extùs per patentiores atque flexiliores cutis poros multò copiosior secretio. His omnibus sanitatis atque vitæ commodis gaudent reverâ juvenes ob validiores atque robustiores singularum partium fibras; unde sanguis magis attenuatus puriorque per vasa circumfertur hinc & inde liberiùs; in cerebro cribrantur uberiores cuduntur-ve spiritus animales, nervosum, membranosum, tandemque musculosum omne genus ita moventes atque sti-

mulantes, ut cuivis exercitationum ſpeciei ſe præbeat ultrò juventus. Non ſic à ſenibus naturæ munia perbellè geruntur; quos enim longa ſeries annorum vel artibus ac diſciplinis, vel rerum multiplicium uſu & experientiâ magis exornavit aut illuſtravit; hanc eandem corpora eorum non mediocriter debilitaviſſe certiſſimum.

IV.

QUEMADMODUM nimio gemens ſub pondere cymba, mari vel fluvio innatans tardiùs moveri videtur: ita non exiſtimabitur ineptè, ſenum ſanguinis molem, eâ, quæ juvenum vaſis contenta propellitur, craſſiorem pigriorem-ve lentiùs agi, ſcilicet in illis adhuc imminutâ præſertim cordis ipſius nec-non quarumcumque fibrarum motricium elaſticitate. Edax rerum tempus duriora conterit; quicquid vitæ vel lucis uſurâ fruitur, ſenſim ſine ſenſu debilitatem contrahit, donec tandem communi lege vel fato pereat ineluctabili. Regum turres pauperumque tabernas mors æquo pulſat pede: ſed inter omnes qui provectiorem attigerint ætatem; paucorum viridis, multorum ſæpiùs ærumnoſior ac infirmitatibus pleniſſima ſenectus: has antevertere, vel valetudinis integritati proſpicere, cùm tui muneris vices poſtulabunt; id potiſſimè curabis, ut quantùm prudentiori vel uſitatiori tibi licebit aſſequi conjecturâ, ſolidorum atque liquidorum corporis inter ſe reciproca ſervetur ponderis & motûs æqualitas. Symmetriam vel æquilibrium nuncupare placet; utrimque juxtà mentis humanæ captum rectè decernis; ulteriùs autem vel curioſiùs inquirendo; cave ne multa garriens graviùs allucineris. Indicationi Medicæ potiùs ſatisfeceris (ut ſenum ſanitatem tuearis) ſi rariùs Venæ ſectione, frequentiùs verò purgatione, quicquid his vel copiâ vel qualitate nocere poſſet, à quo morbi plures imminerent, cautiſſimè vel ſecuriſſimè detrahas & educere coneris.

V.

NON ſine quodam ſaltem rationis momento definivit Hippocrates Medicinam detractione redundantium & adjectione deficientium. Sicut enim aſſumptorum alimentorum ope vita protrahitur: ita præſertim hæc cum ſanitate ſenum diutiſſimè ſervatur Venæ ſectione, vel purgatione ritè adminiſtratis: quæ tunc vix unquam, aut ſaltem multò minùs neceſſariæ juvenibus: hos humorum ſarcinâ, ſi quæ ſuccreſcat, levat undique natura, ſive per manifeſtas corporis

vias, five per infenfiles ejus habitûs : fed in illis moram trahentes, quot inveherent mala, ni præcipuis artis noftræ præfidiis longiùs amoverentur ; crudiore chylo ferè fatifceret ventriculus : non fatis elaborato fanguine vifcerum infimorum glandulæ contumacioribus infarctibus fierent obnoxiæ ; ruber ille latex pulmonum veficulas difficillimè trajiceret, aëri commifcendus : neque propterea, iteratis toties cordis pulfationum ictibus, vel arteriarum fe magis ac magis offerret fubigendum. Denique nec purior, nec tenuior neque fubtilior ad cerebrum impelleretur, in fpirituum animalium formam immutandus. Inde nervi flaccefcerent aut conciderent ; vires languerent omnes fpiffiori fanguine velut obrutæ ; quas evolvere vel in libertatem quafi reftituere licet atque datum eft, modò certam quamdam fubripias oneris partem, intùs adeo conclufam, ut minima folùm per anguftiores aridioris fenum cutis poros valeat exhalare, fanitatis infigni difpendio ; tanta fcilicet fingulis diebus tenuioris fubftantiæ copia per corporis habitum in auras abire folet, fi Sanctorio debita fides non denegetur. Hujus infenfilis, non fecùs ac aliarum in fenibus vacuationum naturalium errores aut defectum, ad eorum valetudinem fervandam, fupplebit optimè Venæ fectionis interdùm, fæpius purgationis repetitus ufus.

Igitur ad tuendam fenum, quàm juvenum fanitatem potiores Venæ fectio atque Purgatio.

Proponebat Parifiis FRANCISCUS-ANTONIUS LE DRAN, Parifinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1714.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerfitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.